

est, ut nihil fere certi nobis de hoc motu reliquerint, sed omnia sub dubio, ob nimiam eius tarditatem. Hos tamen subsequuti sunt Abrahæ, & Hipparchus 200 fere annis elapsis, qui suas observationes cum illorum observationibus conferentes, multo clarius, atque evidenter prædictum motum deprehenderunt. Post annos deinde quasi 170 transactos Agrius in Bithynia, Mileus Geometra, qui & Menelaus, Romæ; & post hos omnes Ptolemæus Astrologorum princeps anno Domini 131, aut circiter, multo adhuc dilucidius istum motum Stellarum fixarum ab occidente in orientem cognoverunt; Qua autem id industria deprehenderint, mox aperiemus, cum de calorū motibus egerimus. Cum igitur Stellarum fixarum duplicem inesse motum nulli amplius sit dubium, & nullum corpus simplex duobus possit ferri motibus, concludendum est alterum horum proprium esse Firmamento, ad cuius motum stellæ fixæ circumaguntur, alterum vero, quæ in eodem comperimus firmamento, provenire ab alio celo, quod nimirum supra firmamentum collocandum erit, ut sit novum celum, ac primum mobile; Hac enim ratione movebitur novum celum ab ortu in occasum spatio 24. horarum, secumque trahet stellæ eodem tempore; ipsum vero firmamentum proprio motu ab occasu in ortum voluetur, quamvis tardissime. Ita igitur Ptolemæus, & Astronomi alij novæ orbis caelestes certissimis observationibus collegent, propter motum diurnum ab ortu in occasum, & tardissimum illum ab occasu in ortum, quorum uterque in stellis fixis deprehensus fuit. Atque hunc numerum novæ orbis caelestium sequitur in hoc opusculo Ioannes de Sacrobosco.

POST Ptolemeum denique annis interiectis 1140. fere, Tebith, Alphonsus Hispanorum rex anno Domini 1250. Georgius deinde Purbachius, & Ioannes de Regiomonte insignes Astronomi, deprehenderunt quidem in stellis fixis duos motus prædictos, sed eas præterea observarunt tertio quodam motu, quæ accessus, & recessus dixerunt, ut paulo post declarabitur, agitari. Quare cum corpus simplex unico tantum motu ferri sit aptum, ut volunt philosophi, non potest novum celum esse primum mobile, sed supra ipsum, decimum erit statuendum celum, quod sit primum mobile. Ita enim fiet, ut decimum celum motu diurno, quem habet proprium ab oriente in occidentem, secum trahat omnes celos inferiores, atque adeo firmamentum quoque cum stellis fixis, spatio 24. horarum: Novum deinde celum circumuehat suo proprio motu, quem obtinuit, ab occidente in orientem & firmamentum, & reliquos omnes